

nos te Dardania incensa tuaque arma secuti,
 nos tumidum sub te permensi classibus aequor
 idem venturos tollemus in astra nepotes
 imperiumque urbi dabimus. tu moenia magnis
 magna para, longumque fugae ne linque laborem. 160
 mutandae sedes. non haec tibi litora suasit
 Delius aut Cretae iussit considerare Apollo.
 est locus — Hesperiam Grai cognomine dicunt —
 terra antiqua, potens armis atque ubere glaebae
 Oenotri coluere viri, nunc fama minores 165
 Italiam dixisse ducis de nomine gentem:
 hae nobis propriae sedes, hinc Dardanus ortus
 Iasiusque pater, genus a quo principe nostrum.
 surge age et haec laetus longaevo dicta parenti
 haud dubitanda refer, Corythum terrasque requirat 170
 Ausonias; Dictaea negat tibi Iuppiter arva.
 talibus attonitus visis et voce deorum
 — nec sopor illud erat, sed coram adgnosceret voltus
 velatasque comas praesentiaque ora videbar,
 tum gelidus toto manabat corpore sudor — 175
 corripio e stratis corpus tendoque supinas
 ad caelum cum voce manus, et munera libo
 intemerata focis. perfecto laetus honore
 Anchisen facio certum remque ordine pando.
 adgnovit prolem ambiguam geminosque parentis 180
 seque novo veterum deceptum errore locorum.
 tum memorat: 'nate Iliacis exercite fatis,
 sola mihi talis casus Cassandra canebat.
 nunc repeto haec generi portendere debita nostro
 et saepe Hesperiam, saepe Itala regna vocare. 185
 sed quis ad Hesperiae venturos litora Teucros
 crederet? aut quem tum vates Cassandra moveret?
 cedamus Phoebo et moniti meliora sequamur.'
 sic ait, et cuncti dicto paremus ovantes.
 hanc quoque deserimus sedem, paucisque relictis 190
 vela damus vastumque cava trabe currimus aequor.
 Postquam altum tenuere rates nec iam amplius ullae.